

2

Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIS PUBLICI

DE

JURE BELLI

IN IMPERIO ROM.

GERMANICO,

Quam

DEO Ter Opt. Max. juvante

PRÆSIDE

DN. JOHANNES GEORGIO

SCHERZIO,

J. U. D. ejusdemque P. P. Ordin. & Cap. Tho-
mani Canonico h. t. Rectore Magnifico.

DN. Patrono & Præceptore suo summe venerando,

In Alma Argentoratensium Vniversitate

SOLENNI Eruditorum Examine

Sistit

WOLFFGANGUS CHRISTOPHORUS

Wenkell/Koesena-Misn.

AUCTOR & RESPONDENS,

D. XIX. Jan. A. M DCC XX.

Hor. loc. solit.

Jus publ. Germ. RATI, TYPIS JOH. HENRICI HEITZ.

C. 340,40

8. 60.

5.

1700

IN IMPHALIA
 GERMANIA
 DIE JOHANNES
 SOHN
 H. D. Christianus
 in Anno Augusti
 W. O. F. H. G. S.

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO

DUCI SAXONIAE,
JULIACI, CLIVIÆ, MONTIUM,
ANGARIÆ WESTPHALIÆQUE,
LANDGRAVIO
THURINGiÆ, MARCHIONI
MISNIÆ,
&c. &c.

PRINCIPI

QUI

DIGNO CHRISTIANIS HEROIBUS ZELO

AVITA VESTIGIA

PREMENS,

PIETATEM CUM JUSTITIA, JUSTITIAM

CUM

CLEMENTIA, CLEMENTIAM CUM PRUDENTIA

AMABILI CONNUBIO JUNCTAS,

ANTIQUISSIMÆ

AC

SERENISSIMÆ DOMUI

HASCE VIRTUTES

QUASI HEREDITARIAS REDDIDIT,

ET AD EAS

VEL IMITANDAS, VEL DEVOTISSIMO

PECTORE SUSPICIENDAS,

ÆQUALES,

SUBJECTOS OMNESQUE BONOS,

IPSO OPERE ALLICIT, INVITAT, COGIT;

OMNIS ERUDITIONIS PROMO CONDO

NON MINUS AC PROTECTORI OPTIMO

PATRI PATRIÆ

PRINCIPI

AC

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

UT ET
SERENISSIMO PRINCIPI

AC

DOMINO, DOMINO

FRIDERICO

DUCI SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, MONTIUM,
ANGARIÆ WESTPHALIÆQUE &c. &c.

UTI

PATERNARUM DITIONUM

ITA ET

VIRTUTUM HEREDI CERTISSIMO,

PRINCIPI JUVENTUTIS

IN POPULI SPEM NATO,

QUAM

UT OMNIBUS NUMERIS EXPLEAT,

ITER AD EXTEROS INGRESSUS,

NULLI PARCIT LABORI, NULLA METUIT PERICULA,

QUO INDE,

QUICQUID OLIM IN SERENITATIS SUÆ GLORIAM

AUT PATRIÆ SALUTEM REDUNDARE POSSIT,

COLLIGAT,

PRINCIPI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO;

ARGENTORATENSES HOS QUAESCUNQUE CONATUS,

CUM SUBMISSISSIMA ANIMI SUBJECTIONE,

SACROS ESSE CUPIT

SERENITATUM SUARUM

HUMILLIMUS AC DEVOTISSIMUS

SERVUS

WOLFFGANGUS CHRISTOPHORUS *Wentzel*.

Nobilissimo atque Eruditissimo

Juveni

DOMINO

WOLFFGANGO CHRISTOPHORO
WENTZELIO,

Kæsena - Misnico

S. P. D.

PRÆSES.

CUm ante triennium & quod
excurrit, ad Musas nostras accessisses, Ami-
ce estimatissime, ea Te potissimum dote Eruditis
nostris mihi que commendabilem reddidisti, quod,
præter non vulgarem Eruditionis, qua Philoso-
phica, qua Juridica, sub celeberrimis Viris (Olea-
rium loquor, Philippi & Müllerum) in Academia
Lipsiensi parte copiam, afferres animum ad An-
tiquitatum Patriarum Jurisque Publici myste-
ria cognoscenda cupidissimum. Laudabilis hæc
cupido inde Te impulit, ut statim, cum Consultis-
simus atque Amplissimus Collega noster, DN.
JOH. HENR. BOECLERUS, S. R. I.
No-

Notitiam Celeberrimi Avi sui studiosa Juventuti
exponeret, Tu, sedulus in eo labore ipsi fueris Socius.
Poterat hoc aliis, qui tanquam Canis ex Nilo cir-
ca Jus versantur, sufficere, ut se nunc in Jure Pu-
blico peritos crederent: ast Tu prudenter plus ul-
tra in eo studio pergendum esse duxisti. Unde cum
ante biennium ego Controversias, Juris Publici,
Seculo XVI. & XVII. vel ortas vel motas, in Col-
legio quodam privato considerarem, Tu strenuam
operam mihi quoque dare non dubitasti. Imo,
hocce labore peracto, in Collegio quodam arctiori
Schvvederianam ad Jus Publ. Introductionem,
me Duce, tractandam sumpsisti; juncto simul Juris
Canonici studio, qua in re Te plurimum ex Scholis
celeberrimi Dn. D. FELZII, Collegæ ac Præce-
ptoris nostri Honoratissimi, profecisse abunde scio.
Hujus eruditionis Tuæ licet non unum specimen
disputando opponendoque dederis, luculentiori ta-
men quadam ratione in Eruditorum choro Tibi
comparendum nunc esse duxisti. Eum in finem Li-
teratis hic sistis Dissertationem de argumento utili
& gravi, nempe de Jure Belli in Imperio R. G.

ele-

eleganter & solide conscriptam, & sub meo qualicunque presidio defendendam. Tuarum uti partium est bene conscripta (quod futurum ominor) strenue defendere: ita mei officii esse video, ut de labore hocce ex animo Tibi gratuler. Faxit DEUS T. O. M. ut ille & felicissime cedat & multos honorum felicitatisque fructus Tibi Tuisque afferat. Imprimis Opto, ut, defensa feliciter hac Dissertatione Tua, letus sospesque & iter Gallicum ingrediaris, & fructibus vel apud nos, vel apud alios conquisitis onustus, ad Tuos saluus aliquando revertaris. Vale! Dab. Argentina d. V. Iduum Sextilis. M. DCC XIX.

Pro-



F. N. F.

§. I.

Propositum nobis est, de Jure Belli *Homonymia.*
in Imperio Romano-Germanico, specimenis Academici loco, quædam in medium afferre: priusquam autem ad rem ipsam accedamus, ante omnia vocabulorum ambiguitas, ut inoffenso pede procedere liceat, paucis evolvenda est. Scilicet per Jus Belli hic non id intelligimus, quod Magnus ille Belga, Hugo Grotius, cui, cum doctrinam Juris Naturalis felicissimo successu restaurasset, libros suos de Jure Belli & Pacis inscribere visum est; in quibus, non peculiaris cujusdam Imperii, sed in universum omnium omnino Rerum-publ. rationem iniens, quicquid observatu dignum circa belli moralitatem ipsa hominis natura dicitur, diligenter exposuit. Neque 2) nomine Juris Belli nobis veniunt Leges Civiles, quas quilibet Summus Imperans militibus suis præscribere solet s. Jus Militare, das Kriegs-Recht/ cujus specimina extant in Corpore Juris Militaris, quod cum notis EBERHARDI HOYERI & JOH. FRID. A SCHUL-

SCHULZII editum extat, & Leges Militares Imperii, Gallicas, Svecicas, Danicas, Polonicas &c. continet. Hoc enim effectus illius Juris est, de quo præsens instituetur tractatio. Neque etiam 3) de Pactis sermo est, quæ Gentes Belligerantes inter se ineunt de ratione in ipsa belli gestione observanda e. gr. ne arma venenata, aut globulos stanneos, adhibere fas sit; de quantitate pretii pro captivis ab una alterave parte solvendi. vid. *Pufend. de J. N. & G. l. 8. c. 7. §. 14. Hert. Opusc. Vol. 1. Diss. de Lytro* Sed Jus Belli h. l. denotat Facultatem moralem belli contra hostes suos gerendi. Quemadmodum igitur in statu naturali omnes homines inter se æquales & nullius alterius arbitrio subjecti erant: ita, virtute hujus libertatis, unicuique belli suscipiendi & seipsum suaque jura, contra vim & injurias aliorum, tuendi, vel amissa recuperandi, potestas fuit, modo, ne quid divinis legibus contrarium admitteretur, caverent. At post constitutas civitates longe aliam ea res faciem induit. Cum enim quisque, quo, multorum vi unita fortior, tum propellendæ pravorum læsioni, tum suæ ipsius utilitati promovendæ, magis idoneus esset, suam voluntatem, suas opes viresque, unius vel hominis vel concilii voluntati ita subjecerit, ut quicquid ille vel illud posthac circa eas res, quæ ad bonum commune pertinent, voluerit, pro voluntate omnium agnoscendum fit: eô ipsô singulis jura, quæ ex naturali libertate competebant, adempta & in eum translata sunt, qui summum in quavis Civitate impe-

*Origo hujus
jus juris
unde re-
petenda.*

imperium tenet; in quorum jurium numero Jus Belli non infimum obtinere locum, facile liquet. vid. *Grot. de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 4. Pufend. de J. N. & G. lib. 8. cap. 10. Hert. Elem. Prud. Civ. P. I. S. 6. §. 18.*

§. II.

Postquam ita Jus Belli cum communi Politicorum schola inter Jura Civitatis Majestatica retulimus, non inepte quæras: Cuinam in Imperio Germanico Majestas, & consequenter cuinam hocce Jus competat? Circa hanc quæstionem diversæ diversorum sunt sententiæ. Nam qui cum Hippolitho a Lapide Aristocraticam Imperio formam adscribunt, non possunt non, excluso Cæsare, solis Statibus summam rei tribuere: e contra hanc potestatem Imperatori propriam esse, intrepide asserunt, quotquot pro Monarchia pugnant atque Ordines Imperii in eorum loco habent, quibus sola obsequii gloria relicta est. Nos, media incedentes via, statuimus, Jus Belli in Imperio & Imperatori & Statibus, diversa tamen ratione, nunc conjunctim, nunc separatim competere. Quod ut clarum fiat, notandum, duplicem hodie in Imperio reperiri Rempublicam, communem unam & superiorem, qua univrsum Imperium regitur & cui Imperator una cum Statibus præest; atque singularem seu inferiorem & superiori illi subjunctam, quæ iterum tot numero sub se comprehendit alias, quot inveniuntur in Imperio peculiare regiones: & harum curam gerit cujusvis territorii Dominus

*Cui com-
petat in
Imperio?*

vid. Ludolph. Hugo in Tr. de Stat. Reg. Germ. per tot.
 Notum quippe est ex Historiis, Statum Germaniæ antiquum, jam dudum disparuisse, & Duces Comitesve, qui sub Francorum regno nudi Magistratus erant & provincias alieno, Regis nimirum nomine, regebant, successu temporis ad sublimiorem conditionem adscendisse, ita ut, interventu Cæsarei consensus, vel ab initio statim præsentis vel ex postfacto secuti, regiones propria jure tenere & regere, cum Cæsare autem, tanquam Coimperantes, negotia communia expedire cœperint. Eandem potestatem recentioribus temporibus etiam Episcoporum, Abbatum & Equitum Ecclesiasticorum, imo & Urbium, aliqui aliquæve obtinuerunt; quod qua ratione contigerit, non difficile judicatu est iis, qui gesta præteritorum temporum & speciatim Ottonis I. & hinc infecutorum Imperatorum paulo curatius in mentem revocant. Atque in eodem illo, quem modo memoravimus, statu Res Germaniæ impræsentiarum adhuc licet deprehendere.

§. III.

*Divisio
 Belli re-
 spectu Im-
 perii R. G.*

Sicuti, quid bellum in genere sit, tanquam ex disciplina Juris Naturæ satis cognitum, præsupposuimus: ita etiam inde huc transferenda venit summa ejus divisio, qua distinguitur in Offensivum, quod ex nostra sententia ejus est, qui primus alterum armis adoritur, sive justam habeat belli causam sive minus; & Defensivum, quod ab in-
 vaso

vaso geritur, justitiæ armorum nequaquam habita ratione. Hæc enim ex causis judicanda, ob quas bellum suscipitur: plane uti in disceptationibus causarum privatarum ille Actor appellatur, qui, causam in iudicium deducendo, alterum aggreditur; Reus, qui in defensione sui occupatur: justitia autem ex aggressionem vel defensione non æstimatur, sed ex jure, tanquam fundamento, cui uniuscujusvis intentio innixa est. Utrumque bellum suscipitur vel in externos vel in Constatum, & vel universi Imperii Germanici vel Status cujusdam nomine. Omnium harum differentiarum in sequentibus habebitur ratio.

§. IV.

His præmonitis, dicimus, Jus Belli, communis Reip. h. e. totius Imperii nomine, suscipiendi spectare ad Imperatorem & Status simul. Jus Belli
universalis
ad quæ
spectet? Fundamentum nostræ assertionis petimus tum ex natura rei, tum ex Legibus Germaniæ, quas vocant, Fundamentalibus. Illam quod attinet, cui obscurum esse potest, bellum esse rem periculi plenissimam, cujus aleæ salus totius Reip. committitur? Etenim ex arbitrio quidem sumitur, non ponitur *Sallust. Conjur. Catil.* nunquam minus quam in eo eventus respondent, *Liv. l. 10. Decur. 3.* qui semper fallaces, ancipites, dubii. Accedit, quod bellum non Cæsaris solum, sed communibus omnium Statuum expensis geratur. Rationis igitur est, ut, quod omnes tangit, ab omnibus quoque approbetur. Potissimum autem & effi-

cacissimum robur in Legibus Germaniæ situm est; quod ut eo distinctius appareat, non inconsultum erit, sigillatim perlustrare potiores actus bellicos, & quid circa bellum decernendum præparandum, indicendum & gerendum sancitum sit, pro instituti ratione breviter exponere.

§. V.

De Bello
decernendo.

Negotium belli decernendi jam jam antiquioribus temporibus in Comitibus Imperii fuit peractum, uti videre licet ex historia bellorum, tempore Henrici II. Imperatoris contra Hungariam, Henrici id nominis V. contra Ducem Lotharingiæ, Friderici Barbarossæ contra Mediolanenses, Philippi contra Colonienses, Ottonis IV. contra Hermannum Thuringiæ Comitem &c. susceptorum. vid. *Limn. ad Capitul. Carol V.* Sed quia praxis huc usque servata firmiori robore indigere videbatur, ideo Maximilianus Imperator, suadente Friderico Saxonæ Electore, in Comitibus Wormatiensibus de Anno 1495. Statibus promisit, *Er wolle ohne Wissen und Willen der jährlichen Versammlung (comitia Imperii intelliguntur, quæ tunc annua erant) keinen Krieg oder Behde anfahren.* vid. *Handhab. des Land-Friedens de Anno 1495. §. auch sollen wir 2c. junct. princ. in fine, ubi: Wir und unsere Chur-Fürsten/ Fürsten/ und des Reichs Ständ 2c.* Cum autem nihilominus hic ipse Imperator anno 1499. Statuum consensu non adhibito, bellum contra Helvetios movisset, & deinde aliud, irrequisitis iterum

iterum Statibus, contra Venetos anno 1508. suscepisset, inde Electores observantiam Imperialem nova lege scripta munivere, inter reliquas adipiscendi regni conditiones a Carolo V. sibi quoque stipulati, ut ad decernendum bellum offensivum Statuum consilium & consensum requireret. vid. capit. Caroli V. art. 11. *ibi.* Wir sollen und wollen uns dazu 2c. friedlich und nachbarlich gegen den anstossenden und Christlichen Gewälten halten/ kein Gezänck / Fehde noch Krieg in oder aufferhalb des Reichs von desselben wegen anfangen oder unternehmen 2c. ohne Vorwissen / Rath und Bewilligung der Reichs-Ständ 2c. quæ verba in seqq. capitulationibus retenta sunt, nisi quod eorum ordinem subinde immutatum, & in Capitulatione novissima verbum anstossenden plane non invenias; nam dicitur solum: gegen die benachbarte Christliche Gewälte 2c. ita ut videri poterit, quasi Imperatori liberum sit, Turcam irritare, quippe qui ex sententia Limnæi ad hunc artic. memorata voce indigitatur. Enimvero mens paciscentium aliunde satis constat, ut ejusmodi intermissum non debeat esse offendiculo. Non tantum autem Imperator dicta Capitulatione promisit, quod Ordinum consensum in bello decernendo adhibere, sed insuper etiam quod cavere velit, ne indirecte exteris occasionem bellum Germaniæ inferendi suppeditet; quod verba friedlich halten innuunt, & adhuc significantius ea, quæ in Capit. noviss. adjunguntur, ubi art 4. dicitur: ihnen allerseits zu Widers
wars

Limita-
tio.

wärtigkeit gegen das Reich keine Ursach geben ꝛc. Hinc illi questus Electorum, in conventu Ratisbonæ anno 1630. coacto ingeminantium, Ferdinandum II. Imperatorem per bellum Mantuanum Gallos, per Borussicum, ubi a Polonorum partibus stabat, Suecos & per expeditionem in Velaviam Batavos contra Germaniam excitasse. vid. *Limn. ad Capit. Ferdinandi II. art. 9.* Quæ in præcedentibus de consensu omnium Imperii Statuum requirendo dicta sunt, regulariter obtinent; quæ regula non est sine exceptione. Nam interdum consensum Electorum tantummodo impetrasse sufficit, quod patet ex d. art. II. Capitul. Carol. V. ibi: oder zum wenigsten der Chur-Fürsten ꝛc. Procedit hoc in casibus subitis & quando res Imperii, tarditatem Comitiorum universalium expectare, non permittunt. Hoc docemur ex verbis in Capitulatione Ferdinandi IV. hac de re conceptis, ubi art. II. clare expressum: in Sachen/ da in dem Verzug Gefahr stünde/ bis man zu einer Reichs-Versammlung / so solchen falls zum förderlichsten auszuschreiben / gelangen kan ꝛc. Exemplum hujus rei in historia superioris seculi occurrit: notum enim est, Ferdinandum II. Imperatorem anno 1630. solo Electorum consensu adhibito, bellum decrevisse contra Gustavum Adolphum, Svecorum Regem. vid. *Theatr. Europæum Part. II. pag. 197.* Interim negari nequit, hanc rem reliquorum Imperii Statuum calculum non meruisse, quippe qui verebantur, ne prætextus casus cujusdam subiti, Imperatori & Electo-
ribus

ribus ansam præberet belli calamitatibus involvendi Imperium, quodocunque id e re sua futurum crederent. Unde in Monitis Communibus ad Capitulationem futuram, Electori Moguntino d. $\frac{17}{27}$ April. 1658. exhibitis, desiderabant ad Art. II. n. 4. Daß auch von dieser Regul kein Casus excipiret / also der Vers: Oder zum wenigsten 2c. ausgelassen werden möchte. vid. *Aut. der Grundfeste Part. III. cap. 3.* Quamvis autem neque tunc temporis hujus moniti, neque in subsequenti capitulationibus ratio habita, sed potius, quæ Capitulationi Ferdinandi IV. in favorem Statuum noviter addita, iterum expuncta fuerint: nihilominus tamen spes adhuc superest, Electores hac in re Statuum reliquorum monito aliquando locum relicturos, cum in Perpetuæ Capitulationis formula, prout illa in Comitibus adhuc durantibus d. 4. 6. & 7. Julii anno 1711. ab Electorum & Principum Collegiis approbata est, limitationem controversam studio omiserint. Nam art. 4. saltem legitur: Ohne der Churfürsten / Fürsten und Stände auf einem allgemeinen Reichs=Tag vorhergehenden Rath und Einwilligung 2c. vid. *Lünig im Reichs Archiv Part. Gen. Contin. II. Fortsetz. p. 359. Aut. Medit. ad Cap. Joseph. loc. deb.*

§. VI.

Postquam bellum ad præscriptum Legum *De Bello Germanicarum* rite decretum est, prima cura *instruend-* intendi ad ea debet, sine quibus id feliciter geri, *do.*
B imo

imo inchoari non potest. Ad apparatus bel-
 licum oppido multa requiruntur. Colliguntur
 milites; accipiuntur iidem a foedere junctis pe-
 cuniæ interventu aut aliis conditionibus: hinc
 foedera & legationes, nam his mediantibus hæc
 talia tractantur; porro hospitaciones assignan-
 tur; constituitur stipendium; collectæ ei finis
 indicuntur; leges militares conduuntur; Dux
 belli eligitur; adduntur Consiliarii aliique variis
 generis munia obeuntes; fortalitia extruuntur;
 præfidiis firmantur; rei tormentariæ ratio ha-
 betur; totus exercitus juramenti vinculo ob-
 stringitur, & quæ alia longe plura huc pertinere
 possunt. Horum omnium cura in nostro Im-
 perio communis est Statibus cum Imperatore.
 Ex paucis, quorum probationem nunc suscipie-
 mus, de reliquis judicium ferre non erit difficile.
 De militibus nomine Imperatoris & Statuum
 conscribendis cautum est in Rec. Imp. Norimb.
 de anno 1552. §. 11. cujus principium ita habet:
 Und sollen solche Knecht von wegen unser und ge-
 meiner Reichs-Stand angenommen werden etc.
Restrictio. add. R. I. de anno 1598. §. und demnach etc. 9. Vi-
 detur quidem allatis legibus contrarius esse ar-
 ticulus 16. Capitul. Leopoldinæ, in quo hoc jus
 Electoribus tantum adscribitur, Statuum men-
 tione haud injecta: Wenn inskünfftige/ auf vor-
 gehabten Rath mit den 7. Chur-Fürsten und deren
 darauf gefolgter Bewilligung und Consens, die
 Nothdurfft ersfordern würde / daß wir zu des
 Reichs Defension einige Kriegs-Völcker werben
 sol

solten ꝛc. Sed salva res est. Neque enim pertinet hic textus ad regulam, quam supra dedimus, verum exemplum præbet exceptionis, quæ vult, in casibus belli subitis Electorum consensum sufficere. Quomodo autem, ex mente non neminis, allata d. articuli verba de bello defensivo etiam intelligi possint, non videmus, cum ad hoc ne Electorum quidem consensu opus sit, prout infra apparebit. Frustra quis nobis objiciet, regulam cum sua exceptione male huc trahi, ubi de delectu militum, non de bello decernendo, agitur. Nam illa omnino etiam hujus loci est, siquidem cui, ex arbitrio bellum suscipere, integrum non est, nisi certis casibus certoque modo, illi non minus eadem ratione milites cogere prohibitum sit oportet, quia hæc naturali necessitate cohærent. Milites dicto modo conscripti dicuntur *Das Reichs-Boick* per Ord. Regim. de anno 1500. tit. *Wo dem Reich ꝛc.* & in R. I. de anno 1641. §. *und zwar so viel ꝛc.* 20. legimus, exercitium juris circa hospitationes militum ab Imperii Ordinibus Cæsari fuisse commissum, qui etiam promittit, se divisionem in Circulos Imperii ita instituturum, uti belli ratio exigat & Imperatori id consultum, S. R. Imperio proficuum & afflictis Statibus tolerabile fuerit visum; imo se in assignandis hospitationibus id operam daturum, ut omnes Status haud dubie opere ipso agnoscant, illorum commodum & ne unus præ altero gravetur, Cæsari maxime cordi esse. Stipendium etiam ab Imperatore & Statibus con-

stitui militibus & de eo moderando consultari docemur R. I. de anno 1521. §. 33. add. R. I. de anno 1598. §. ob wir wohl ꝛc. imo illud a solis Statibus, Cæsare non contrariante, factum scimus ex R. I. de 1530. Ducem belli Comitiali consensu eligi & interdum hoc munus Regi Rom. demandari, interdum Imperatori a Statibus relinquere, ut quem eligat idoneum & Germanum, qui postea juramento obstringi debet Imperatori & Statibus, discimus ex R. I. Ratisb. de anno 1557. §. alsdann ferner ꝛc. 54. add. Capit. Caroli VI. art. 4. Exempla eorum, qui dicto modo electi, passim obvia sunt. Sic honorem hunc anno 1500. adeptus in ipsis Comitibus Augustanis est Albertus Comes Palatinus Rheni & Dux Bavarie vid. R. I. dicti anni tit. des Reichs Hauptmann betr. 52. Sic anno 1541. exercitui contra Turcam destinato præfectus fuit Fridericus Comes Fürstenbergicus, per d. R. I. §. darauf ꝛc. 56. & sequenti anno Joachimus Elector Brandenburgensis vid. R. I. de anno 1542. §. als nun aber ꝛc. 23. sq. Si propiora magis arident, nemo ignorat, paucis abhinc annis celsissimum Generalis Campi Mareschalli munus Serenissimo Würtembergiæ Duci Regenti, Domino EBERHARDO LUDOVICO, applausu & consensu totius Imperii dignissime collatum esse. vid. Conclus. trium Collegior. S. R. Imp. d. d. Ratisbonæ d. 9. Sep. 1712. Duci adjunctos consiliarios vid. in Rec. I. de 1500. tit. von 6. Râthen/ in quibus, vi novissimæ Capitul. art. 4. paritas numeri ratione Religionis obser-

vari

vari debet. Condi porro Leges & Articulos Militares communi nomine, patet ex R. I. de 1555. §. 84. Omnes omnino milites in verba Imperatoris & Imperii jurant per R. I. de 1500. von der Soldner Eyd it. von der Hauptleut Eyd 2c. Plura hac de re dici possent, quæ, instituti nostri memores, consulto omittimus.

§. VII.

Bello, uti par est, decreto & curatis iis re- *De' Bello*
 bus, quæ ad illud gerendum omnino necessaria *indicendo.*
 sunt, vid. §. 3. in fine, sequitur Indictio, die
 Kriegs-Ankündigung. Hæc uti in omni bello so-
 lenni necessaria est, ita nec in Germania solet
 negligi. Expeditur ea quidem ab Imperatore
 nomine tamen & prævio consensu totius Impe-
 rii; unde est, quod, qui hac ratione Imperii ho-
 stes declarati sunt, sibi non ducant religioni, præ-
 ter Cæsarem, contra quemcunque visum fuerit
 e Statibus, armis experiri. Hanc in rem suffi-
 ciet citasse formulam belli indictionis, quæ his
 fere verbis enunciari consuevit. Wir N. von
 G. G. erwählter Röm. Kayser 2c. thun hiermit
 kund allermänniglich; Nachdem auf unsern den 2c.
 nechsthin/ in unserer und des Heil. Reichs Stadt
 N. gethanen allergnädigsten Vortrag/ Chur-Für-
 sten/ Fürsten und Stände/ durch ihre bey allda-
 sigen Reichs-Convent versandte Rätthe/ Bots-
 schafften und Gesandte über 2c. reiffe Berathschla-
 gung gepflogen/ und in allen drey Reichs-Colle-
 giis befunden worden/ daß 2c. Um welcher und
 B 3 ande-

anderer wichtiger Ursachen dann obbemeldte Chur-
Fürsten/ Fürsten und Stände dafür gehalten/ ge-
schlossen und an uns gebracht haben/ daß obgemeldte
Infractiões, Occupationes und Detentiones für
unstreitige Friedens-Brüche zu achten/ mithin der
N. und dessen Allirte, auch alle ihre angehörige
Befehlshabere/ Söldner und Unterthanen/ Helf-
fer und Helffers Helffere/ für Reichs-Feinde zu
halten/ und der Krieg gegen dieselbe von Reichs
wegen zu decerniren/ zu declariren und ins Reich
zu verkündigen ꝛ. Erklären demnach und verkün-
digen hiermit und in Krafft dieses Briefs ꝛ. den
N. für unsere und des Reichs Feinde ꝛ.

§. VIII.

*De Bello
gerendo.*

Tandem & ipsa belli gestio, id quod pro-
bandum suscepimus, satis evincet, si quidem per-
pendamus, ea, quæ bello aquiruntur, Imperio
accrescere. vid. Ord. Regim. August. de anno 1500.
tit. wo dem Reich Glück ꝛ. verb. dasselbig alles
soll dem Reich zustehen ꝛ. Rationes accepti & ex-
pensi reddi & exhiberi Imperii Statibus, vid. d.
Ord Reg. ibi: den Ständen des Reichs Rech-
nung thun ꝛ. imo Exercitum pro defensione
Imperii conscriptum extra illud deduci non de-
bere, nisi prævio Statuum consensu. vid. Capit.
Ferdin. III. art. 12. qui articulus in præcedenti-
bus Capp. non invenitur & plane novus est.
Dicitur eidem Ferdinandus II. occasionem de-
disse, postquam fere pro arbitrio, Statibus insa-
lutatis, militem Imperii miserit, quo voluit, ma-
gno

gno Imperii detrimento. Verba principii huc pertinentia ita se habent: Wir versprechen auch dasjenige Kriegs-Volck/ so zu des Reichs Defension albereit auf die Bein gebracht oder ins fünffte geworben werden möchte/ ohne der Reichs Stände/ oder auß wenigst der 6. Chur-Fürsten/ Vorwissen und Bewilligung/ außserhalb des Reichs nicht zu führen. Restrictio, quæ hic invenitur, in Capitul. sequenti iterum omissa est, ita ut loco verborum: ohne der Reichs-Stände oder auß wenigst der 6. Chur-Fürsten Vorwissen &c. legatur: Ohne Chur-Fürsten und Stände Vorwissen &c. ex quo fluit, omnino vi hujus promissi non solum Electorum, sed & cæterorum Statuum consensum omni casu in hac materia requiri. vid. *Limn. in annotat. ad Capit. Ferdin. III art. 12. &c. &c.*

§. IX.

Poterant sufficere, quæ proxime in medium *Jus suffragii* attulimus, leges ad stabiliendam assertionem nostram, cujus mens erat, non Imperatori soli, sed *quid denotet?* ipsi una cum Statibus competere Jus Belli universalis. Sed ut res satis clara, contra molimina eorum, qui fluctus in simpulo movere allaborant, extra omnem dubitationis aleam poneretur, saluberrima Pacis Westphalicæ sanctione effectum est, in cujus art. VIII. §. 2. expresse habetur; quod *omnes & singuli Electores, Principes & Status Imperii Romani gaudere debeant &c. jure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii, præsertim ubi bellum decernendum &c. delectus aut* *hospi-*

hospitationes militum instituenda &c. ubi quidem probe tenendum, per Jus suffragii in deliberationibus publicis non intelligi nudum consilium de re, super qua sententia expetitur, sed partem potestatis legislativæ, quæ Statibus in universo Imperio competit, & quam exercent, ubi ab Imperatore in Comitibus solennis propositio facta est. Tunc enim Status vel consentiunt cum Imperatore, & ita res bene se habet, fitque Decretum Comitiale, ein Reichs-Schluß/ sub nomine Cæsareo; vel inter se discrepant, nec ulla conciliationis spes superest, & tunc nihil agitur. Inveniuntur quidem qui asserere non dubitant, in casu ubi Cæsar & Ordines conciliari nequeunt, Imperatori jus esse Statibus legem statuendi: ex adverso alii sibi persuadent, peculiaris sententiæ Cæsareæ a Statibus minime habendam esse rationem & Imperatori incumbere, ut concluso Statuum vim Decreti Comitialis tribuat, idque cum reliquis Capitulis, super quibus nulla dissensio est, promulgari curet. Verum enim vero non est, ut harum opinionum asseclas moremur: præterquam enim quod per praxin constantem, allato §. *Gaudeant &c.* subnixam, satis confutentur; ex inspectione Recessuum Imperii, & præsertim eorum fine, manifestum fit, quod omnia negotia comitialia per modum contractus s. pacti inter Imperatorem ex una, & Status Imperii ex altera parte iniri, adeoque vim suam non ab Imperatoris propositione vel auctoritate, aut Statuum iussibus, solitarie mutuari soleant, sed ab
utro-

utrorumque simultanea voluntate nanciscantur.
vide R. I. quoscunque libet.

§. X.

Consensum Imperatoris & Statuum ad bellum universale requisivimus: sed, qualis ille debeat esse, non ita expeditum videtur. Inquirendum igitur a nobis est, num unanimis præcise exigatur, an vero consensus majoris partis sufficiat? Poterit autem quæstio hæc vel intelligi de regula, vel de exceptione & casibus extraordinariis, in quibus, publica utilitate & salute ita urgente, Electorum consensum sufficere adstruximus. De quæstione priori modo intellecta sciendum, posse eam iterum duplici ratione accipi. Vel enim 1) sensus illius hic est: Num Cæsar una cum singulis tribus Collegiis, Electorali nimirum, Principum & Civitatico, debeant consensum porrigere, ita ut, si ante oblationem Cæsari faciendam, vel unicum votum curiatum deficiat, duorum Collegiorum reliquorum suffragia pro placito Imperii haberi nequeant? Decisio hujus rei difficultate non caret. Nam qui, pluralitatem votorum admittentes, negativam tuentur, allegant praxin Comitiam, quæ huic sententiæ favisset, quando d. $\frac{20.}{30.}$ Januar. 1654. Electorum & Principum Collegiis certa super re dissentientibus, illi Collegium Civitatum Imperialium accesserat: præterea ex adversa sententia absurdum metuunt, quia hac ratione omnia vota Curiata pro mere Consultativis habenda forent:

*Qualis re-
quiratur
Consensus?*

C

forent:

forent: porro dicunt, omnes societates, & sic etiam civitates, hoc commune habere, quod in rebus, quæ societatem concernunt, major pars nomine universitatis obliget singulos, qui sunt in societate; quod ni fieret, negotia sæpissime exitum non essent habitura. Quibus adversæ sententiæ faventes respondent: praxin esse admodum incertam, hinc in præfatis Comitibus plurimorum sententiam eo rediisse, quod hæc quæstio, indecisa adhuc, ante omnia in Senatibus Imperii debito modo proponi & super ea deliberationes institui debeant. Deinde reponunt, consequentiam Adversariorum esse inanem, & quod de natura civitatum affertur, in simplicibus locum invenire, qualis autem Germanicum Imperium non sit; in hoc enim Ordines, secus ac in Aristocratiis & Democratiis, etiam extra Comitibus gaudere imperio civili: indoli autem hujus repugnare, ut Imperantes aliorum placita sine suo consensu sequantur. Urgent amplius Responsum duorum Collegiorum Superiorum in Causa Voti Decisivi Civitatis, ubi illa S. ult. confitentur: nicht der Intention, daß darun die Majora in præjudicium des Städtischen Collegii gemacht zc. vid. Aut. der Grundf. P. II. c. 6. Quicquid ejus sit, nobis, ob superius adducta, verior videtur sententia negativa, cui & ipse modo dict. Autor p. II. c. 8. accedit, mox subjungens: daß die Erklärung der beyden höhern Collegien/ zumal was dieses præsuppositum, daß neml. die Majora unter denen drey Reichs- Collegien nicht gelten

gelten solten/ betrifft/ für unrichtig gehalten worden 2c.

§. XI.

2) Quæstionis nostræ sensus potest esse: *An Singulorum collegiorum majora sufficiant?*
 Num præter consensum Imperatoris requiratur etiam singulorum Statuum in singulis Collegiis consensus: an vero majora vota concludant? Ad hujus solutionem præmittendum, quod in Comitibus semper pro regula fuerit habitum; in omnibus Collegiis standum esse votorum pluralitati. Cui normæ uti nemo Statuum contradixit, ita non pauci reperti sunt, qui de ejus abusu diu multumque conquererentur, ex memoria præteritorum temporum veriti, ne imposterum, prætextu illius, in jura singulorum involandi daretur occasio. Hinc determinationem urfêre illorum jurium, quæ natura sua ita comparata sunt, ut pluralitatem respuant. Tandem igitur, excepta collectarum materia, decisa res est per Pacem Westph. ubi *art. V. §. 52.* provisum, juri majoris partis eximenda esse 1. causas Religionis 2. negotia, in quibus Status tanquam unum corpus considerari nequeunt 3. casus, ubi Catholici & A. Conf. Status in duas partes eunt. Prima & ultima exceptio nostra nil refert; de secunda, quamvis inter Interpretes hujus §. non constet, quid præcise is sibi velit, itidem tamen hoc certum, eam huc non pertinere. Nihil itaque restat, quam ut dicamus: Consensum majoris partis ad bellum universale omnino sufficere, quando

do etiam sermo est de Collegiis figillatim spectatis.

§. XII.

*Electorum
Consensus
qualis de-
beat esse?*

Ad quæstionis propositæ alterum membrum deveniendum jam est, vid. §. 9. cujus mens his continetur: Num in casibus subitis, qui Electorum consensu alias contenti sunt, idem ille consensus ab omnibus & singulis, nullo dissentiente, an vero a majore eorum numero proficisci debeat? Nos prius affirmare nil dubitamus, adducti verbis Capitulationis noviss. art. 4. ibi: **der sämtlichen Chur-Fürsten Vorwissen / Rath und Bewilligung**; vox autem **sämtlich** idem est ac unanimes & opponitur majori parti, e. gr. in Capitul. Ferdinandi III. art. 7. dicitur: **sämtlich oder des mehrern Theils aus ihnen** &c. præterea quemadmodum per hanc vocem Electorum præscitum & consultationem determinari, nemo ambigit; omnes debent negotium hoc scire, non tantum major pars; omnes super eo deliberare: ita cur eadem aliter accipienda sit de approbatione, ratio nulla apparet. Nec tamen desunt, qui verbum **sämtlich** malunt intelligere de majoris partis assensu, quem Collegialem vocant, inter quos Sprengerus, *vid. Schved. I. I. P. P. Sp. S. I. c. 23.* quibus ob allata accedere non possumus, præsertim cum ne quidem Collegialis & majoris numeri Consensus pari passu ambulent, verum ille secundum ordinarium Capitulationum stylum idem sit ac unanimes. *vid. Capit. noviss. a 8.* **in verb. mit aller und jeder Chur-Fürsten Wissen und**

und Willen / Zulassen und Collegial-Rath durch einhelligen Schluß zc. daß keines Widerrede oder dissens Dargegen zc.

§. XIII.

Quæ in præcedentibus diximus, maximam partem a nobis prolata sunt respectu habito ad bellum, quod cum exteris geritur: in Imperio autem ipso etiam quandoque vim adhibere necessum est, quæ & huc pertinet & minimum nomine belli minus solennis appellari poterit. Exferit se illud potissimum in actibus ad conservationem Pacis Publ. spectantibus; quam in rem ab Imperatore & Statibus communi opera multa salubriter sancita sunt. Apprime huc facit Ordinatio Executionis, quæ in Comitibus de A. 1555. confecta & cum augmento in Recessibus Imp. de annis 1559. 64. 66. 70. 76. 82. 94. 98. 1603. 41. I. P. art. 17. §. quoties &c. R. I. de 1654. & imprimis in adhuc durantibus Comitibus est confirmata. Ne fines præstitutos excedamus, ex quamplurimis pauca inde lubet adducere. Ita tuendæ securitatis publicæ causa in R. I. de 1555. §. 34. sqq. prohibentur omnes coitiones militum, quæ sine consensu ordinarii Magistratus fiunt, hinc suspicione hujus rei imposterum laborantes, prima vice, ut desistant, monendi sunt; altera deprehensi pœnam dant, quæ perjuros manet, & si cuidam insuper vim intulerint, in eos tanquam Pacis Publ. violatores animadvertitur; quod si unus pluresve eò malitiæ processerint, ut Magi-

*De Bello,
quod in
Imperio
geritur.*

stratui improbo conatu resistant, tunc persequi eos tantisper oportet, (mit Nachheilen donec capiantur, dignis postea affiendi pœnis. Porro constitutum, nemini in Imperio militandi licentiam fore contra Imperatorem aut Status morigeros; imo in id operam dare omnes jubentur, ut suspectos milites eosque, qui, sui rationem reddere nescientes, vitam otiosam vivunt, quamprimum detegant. Quæ de militibus ordinata recensuimus, ad quoscunque pacis turbatores etiam pertinent; & quò huic ordinationi suum constet robur, ulterius provisum, ut omnes turbatores ab unoquoque Statuum, in quorum terris turbæ metuuntur, statim ab initio, quoad fieri potest, in ordinem redigantur; vi autem majore existente, quam ut unius Status dispelli viribus queat, in subsidium vocandus est circulus, sub quo ille Status continetur. Hunc in finem Præfectus militiæ a Statibus cujusvis circuli eligatur ad modum fusius ibi præscriptum, qui, si ipse impediatur, per alium, negotio non imparem, exercere munus potest. Ubi unius circuli militia retundendæ pacis violationi non sufficit, duo, tres, quatuor & ita porro, prævia requisitione, præsto esse debent; quæ omnia in ipsis Recessuum Tabulis plenius descripta videre B. L. haud gravabitur.

§. XIV.

De Bello Huc usque actum est de Jure Belli totius
Universa- Imperii nomine gerendi & quidem Offensivi:
nunc

nunc etiam videndum, quid obtineat circa Bel-^{li Defen-}
 lum Universale Defensivum? Ad hoc Imperator ^{sivo.}
 neque omnium Statuum, neque etiam Electo-
 rum consensu opus habet, sed ipsi liberum est,
 nemine salutato, aggressoris vim repellere vi op-
 posita. vid. Capit. noviss. art. 4. ibi: *Wo wir aber
 des Reichs wegen angegriffen würden/ mögen wir
 uns aller dem Reich unnachtheiliger Hülffe ge-
 brauchen.* Dispositio hæc Juris Naturalis est,
 legibus Germanicis confirmati. Nam in Statu
 naturali contra aggressores se se defendere cui-
 vis permissum est, modo justam suæ defensionis
 causam habeat; talem autem præbet injusta ag-
 gressorum invasio. Imo etiam contra eum, qui
 inique fuit læsus & consequenter ex juxta causa
 bellum alteri infert, ab hoc arma defensiva ex-
 pediri licite posse, a quibusdam statuitur; ex
 metu scilicet, ne hostis plus auferat, quam justa
 vindicta videbatur exposcere: quæ quo loco
 sint habenda, aliis discutiendum relinquimus.
 Licebit igitur Imperatori, qui respectu aliorum
 regnorum, a quibus armis peti posset, in statu
 naturali vivit, his, imo quibusvis aliis, omni
 modo resistere, & ubi propriæ vires non suffe-
 cturæ videantur, aliorum copias vocare in sub-
 sidium, & si vel maxime ab Infidelibus eas &
 Christiani nominis infensissimis populis mutuo
 accipere necessum habeat. Nam quicumque me
 injustis armis, quantum in ipso est, opprimere
 non dubitat, ipse sibi imputet, si, laceffitus,
 injustam oppressionem quovis modo amoliri
sata-

fatagam. Plane quemadmodum homines, cæteris paribus, ad mutua auxilia sibi invicem obstringuntur, ita, ut hujus obligationis etiam aliqua vis existat, cuivis a quovis auxilia illa acceptandi inque suum commodum vertendi jus debet esse. Nec ad rem facit, quod quidam urgent, in Christiani nominis destructionem hæc talia vergere, adeoque non sine execrandi sacrilegii nota approbari, ne dicam suscipi posse. Nam quid quæso de illis Christiano nomine superbientibus judicandum, qui, Infidelibus longe peiores, suæ Religionis socios injusta vi petere non erubescunt? Anne illi hoc rerum sttatu quandam adhuc differentiam inter se se & Infidelium milites superesse sibi blandiuntur? Sed superest omnino, & egregia ea quidem, nimirum quod, qui Christiani nominantur, Christi præcepta negligant, Infideles autem dicti, improbitatis coërcendæ ministri & justitiæ vindices sint. Fac autem, in bello, ad extirpandam aliquam Religionem Christianam suscepto, Infidelium arma quem conduxisse: at neque hæc nobis contraria sunt, quandoquidem, dum justam bellandi seque defendendi causam præsupposuimus, eo ipso omne bellum, quod contra Religionem geritur, exclusimus: nam hoc semper inter illicita referendum est, sive Christianorum, sive Infidelium militum opera eò utaris. Interim non negandum, in fœdere, quod cum Infidelibus, aut etiam aliis potentioribus exterorum, eum in finem initur, magna cautione procedendum esse, ne modera-

men

men inculpatae tutelae Politicæ transgrediamur, & copiae ad suppetias ferendas vocatae, vi hostium depulsa, nostram ipsorum destructionem moliantur; cujus rei tristia exempla passim in Historiis reperiuntur. Hanc ob causam verbis citati art. 4. Capitulationis adjicitur, copias auxiliatrices debere esse innocuas, & Imperatorem hoc casu ab Electoribus admoneri, numerumque extranei militis limitari posse, Limnæus auctor est. Ex dictis fluit, ad exemplum Imperatoris habere quemvis Statuum, ubi Imperii nomine invaditur, Jus Belli Defensivi. Nam eadem utrinque ratio militat: defensio naturali jure concessa æque his, ac Imperatori, intacta relinquenda: nec deficit Lex, quæ facultatem hanc resistendi impertiatur. v. R. I. de 1548. art. 3 §. und ob 2c. ibi: sein Gegenwehr und Verfolgung zu thun/ unbenommen 2c. conf. ea, quæ infra dicentur, ubi de Jure Belli Partic. Defensivi agemus; nam eatenus etiam huc pertinent, quatenus tranquillitas publica Imperii turbatur.

§ XV.

Statibus etiam separatim competere Jus *De Jure* Belli in Imperio, supra §. 2. diximus, scil. Belli *Belli Par-* Particularis, consistens in eo, quod quilibet Sta- *ticularis,* tus proprio nomine & inconsulto Cæsare aut *ejusque* Imperio, bellum possit suscipere. Mirum id *funda-* forte videbitur perpendentibus, quod per san- *mento.* ctionem Pacis Publicæ omnibus & singulis in Imperio vis publica interdicta sit, gravissima in

D trans-

transgressores constituta pœna. Enimvero quamvis hoc non inficiemur, certum tamen est, Statibus non solum extra Imperii fines, sed & in illo belli gerendi adhuc jus superesse. Nostrum itaque erit monstrare, unde habeant & quousque se illud extendat? Jus Belli Particularis nititur imperio illo universali, quod quilibet Status in Territorio suo circa regimen civile habet. Dicitur alias Jus Territorii, Superioritatis, Superioritas Territorialis, Germ. *die Landsfürstl. Obrigkeit/ die Landshoheit und Herrlichkeit* &c. R. I. de 1555. §. 40. R. I. de 1559. §. 21. Res ipsa maxime implicata esse creditur; nec sine ratione, si ex generalibus principiis Politicis eam æstimare velis: nam hoc respectu difficile admodum erit dicere, quo nomine insigniri debeat, sitne Jus Majestaticum, nec ne? Sed possumus quæstionis hujus discussione supersedere, modo in subsidium vocemus Leges Germaniæ Fundamentales, quæ hac in re sufficientem nobis præstabunt operam. Sepositis igitur privilegiis Cæsarium, ex antiquo seculo frustra accersitis, cum ad statum hodie parum quadrent, ex *Tabb. Pacis West. & Capitulationibus Imperatoriis* satis elucescit, Superioritatem Territorialem, quatenus quidem pro fundamento Juris Belli Particularis a nobis adducitur, hodie potestatem esse, vi cujus singuli Status territoria nomine proprio atque libere regunt, & cujuscunque generis actus cum Constatibus Exterisve suscipiunt, ita quidem ut actus ex illa potestate provenientes

tes

tes, quatenus rebus Majoris Reip. fraudi non sunt, pro validis censerī debeant. Verba Instr. P. huc pertinentia art. 8. §. I. habentur, sequentis tenoris: *Status Imperii Rom. in antiquis suis juribus, prerogativis, libertate, privilegiis, libero juris territorialis, tam in Ecclesiasticis quam Politicis, exercitio &c. stabiliti firmitaque sunt.* Et in Cap. Augustissimi hodierni Imperatoris art. I. dicitur: **Dann auch die Fürsten / Prelaten / Grafen / Herren und Stände ꝛc. bey ihren Hoheiten / geist- und weltl. Würden / Berechtigkeiten / Macht und Gewalt ꝛc. lassen.** Vi ergo harum legum possunt Status singuli quascunque Juris Territorialis partes exercere, quarum præcipua quædam est Jus Belli. Textus enim loquuntur indefinite & proinde nullam admittunt exceptionem, nisi peculiari sit probatione suffulta. His non obstantibus, Jus Belli Territorii nomine gerendi, prorsus liberum & illimitatum haud pronunciamus. Nam quemadmodum fundamentum, cui innixum est, suis continetur limitibus, ita hoc etiam de jure, quod superstruximus, verum esse consequitur. Superioritas Statuum quantacunque etiam sit, tamen non est summa, sed ob commune vinculum, quod Territoria inter & totum Imperium intercedit, huic in multis subjacet: hinc etiam non simpliciter Superioritas, verum cum addito, Territorialis, nuncupatur. Sed age videamus, quo in consistat restrictio illa Juris Belli? Secundum leges eum in finem latas Imperialemque Observantiam, pote-

stas omnis Statuum Imperii circa bellum hæc
 est: *Primo* possunt exteris Regibus & Principi-
 bus auxilium ferre, modo id non sit damno Im-
 perii, & quidem vel in propria persona vel trans-
 missis copiis, quæ rursus vel colliguntur nomine
 externi Principis, vel ex corpore militum, quos
 Status hic Imp. jam alit, selectæ mittuntur vid.
 R. I. de 1570. §. Denselben wir 2c. 4. ibi: fremden
 Potentaten/ ohne alles beleidigen des Vaterlands
 und dessen Angehörigen/ zu dienen 2c. Sic Johan-
 nem Wilhelmum Ducem Saxonie Henrico Gal-
 liarum Regi A. 1558. militasse, novimus ex Chytr.
 Chron. lib. 19. & nullum bellum in Europa sine
 Germanis strenuis, Heroibus ac viris Generosis
 illo tempore confectum esse, testatur ex Lansio
 Myler. de Princip. & Stat. Imp. R. G. P. I. c. 16.
 p. 139. Ad delectum, externi Principis nomine de-
 bite peragendum, requiritur ut 1. licentia ab Im-
 peratore prius impetretur 2. numerus militum
 denominetur 3. adjecto nomine Præfectorum &
 Capitaneorum 4. promittatur, hos milites non
 adhibitum iri contra Imperatorem, Status aut
 eorum subjectos, nec 5. illos molestias & dam-
 num daturus in transitu, sed potius, quid accipi-
 piant, soluturos 6. lustratio in terris Imperii ne
 instituatur 7. ut, anteq. copię conscribantur aut
 traducantur, id Imperatori & Præfectis circulo-
 rum significetur, & denique 8. de omnibus ido-
 nee caveatur, vid. d. R. §. Dieweil dann 2c. 3. sq.
 add. R. I. de 1556. §. 39. 1582. §. 31. 1594. §. 24. sq.
 Copias jam conscriptas certo stipendio exteris
Prin-

Principibus addici posse, innumera exempla recentissimæ memoriæ loquuntur. Auxilium tamen ordinarium (das Reichs-Contingent) negligendum non est, quo communi patriæ succurri debet, quodocunque id postulat necessitas. *Deinde* possunt Status ipsi bellum contra proprios hostes gerere, hac solum observata differentia, ut, si Defensivum, contra illatam vim injustam, suscipiendum sit, tunc indistincte arma expedire & periculo occurrere queant, sive invadantur ab extero quodam sive a Constatu. Nam in casu necessitatis, ubi a Republ. superiore frustra expectatur auxilium, superest Status naturalis & ex eo proveniens licita sui defensio, uti supra jam admonitum. In talem autem casum Imperii Statum facile incidere posse, manifestum est, si meminerimus, rem bellicam in Imperio nostro non exiguis laborare defectibus. Nam quamvis ea per Circulos, Maximiliani Imperatoris cura institutos, haud contemnenda ratione ordinata sit, inter hos tamen nonnullos deprehendes adeo imbecillos, ut vix Executionibus peragendis pares sint, ne dicam, præsidii aliquid adversus vim externam inde frustra expectari. vid. *Ludolph. Hugo in Tr. de Stat. Reg. Germ. cap. 3. §. 10.* Accedit, quod protectio subjectorum, tanquam præcipuus Imperii Territorialis nervus, defensionem hanc exigat; hinc etiam Statibus per Constitutionem Imperii injungitur, ut ita quisque in regione sua se instruat, quo adversus violentiam subitam tutus sit. vid. R. I. August. de 1555. §.

E Nach

Nachdem aber 2c. 54. ibi: daß ein jeder Churs
 Fürst / Fürst und Stand in guter Bereitschafft
 sitze / auch in seinen Fürstenthumen / Landen / Herr-
 schafften / Oberkeiten und Gebieten / solche embsige
 Vorsehung thue / daß er und die Seinen dannoch
 dermassen gefaßt / daß sie sich unversehenes Uber-
 falls selbst etwas zu entschütten / und sich ein je-
 der dermassen mit den Seinen anzustellen 2c. auf
 daß er und die Seinen in solchen Nothfällen 2c. sei-
 nen benachbarten fürderliche und fürträgliche Ret-
 tuug leisten möge 2c. ex quo §. simul perspicitur,
 Statibus etiam Jus esse Belli Defensivi, quando Con-
 status injustam armorum vim patiuntur. De cæ-
 tero non negandum, quod iis, ubi in defensione
 occupantur, incumbat, id quamprimum Impera-
 tori significare & bellum secundum Imperii leges
 administrare. Sie sollen die Kayserliche Maje-
 stät ihres Vorhabens und was sie dazu verursa-
 chet / in Schrifften unverzüglich und in Unterthän-
 nigkeit / der Sachen wissens zu haben / verständis-
 gen und vergewißigen / und nichts destoweniger
 mit der fürgenommenen Gegentwehr dieser Ord-
 nung gemäß fürsichreiten 2c. vid. d. R. §. und sol-
 len in 2c. 64. Quod si autem Statibus gerendum sit
 Bellum Offensivum, multum interest, num id fiat
 contra externos hostes, an vero Constatus? Hoc
 casu regulariter permissum non est, arma sumere;
 nam eo fine Judicia communia sunt constituta,
 in quibus controversiæ, inter eos exortæ, com-
 poni possint. vid. R. I. de 1495. add. Instr. Pac. art.
 17. Si ergo promiscua bellandi licentia concedere-
 tur

tur, judiciorum autoritas evilesceret, unde non possent non turbæ sequi, totius tandem Reip. interitum post se trahentes. Quoniam autem non minus verendum est, ut Judicia Imperii semper ita se habeant, quò in justa causa auxilii satis inde consequi liceat: hinc, ubi judicis justitiæque obtinendæ copia haberi nequit, Statibus Jus Belli Offensivi etiam adversus Constans non penitus denegandum videtur. Coccej. I. P. P. c. 23. §. 29. Paria enim habentur, nulla judicia constituta esse, & esse quidem, sed quorum vis inefficax. Altero casu & ubi Statibus res est cum Exteris, Bellum iis Offensivum permittitur. Etenim nunc cessat prohibitionis ratio, judicia nimirum constituta; dummodo observes, incolumitatem Imperii semper ante oculos versari debere Statui, bene memori, Jus sui Territorii cum Jure Imperii perpetuo vinculo colligatum esse. Quando igitur hac rerum facie metus subest, ne totum Imperium periculo exponatur, tunc quidvis potius tentandum, ut bellum declinetur; aut, si evitari non possit, Imperium in partes vocandum, cujus opera bello, contra voluntatem suscepto, eo facilius suus poterit imponi

F I N I S.



COROLLARIA,

ne detur Vacuum:

1.

Potestas Parentum in Liberos proxime & immediate ex ipsa Lege Naturali descendit.

2.

Pater Nobilis & Jurisdictione gaudens eam in Uxorem & Liberos exercere potest.

3.

Princeps in delicto Homicidii salva conscientia dispensare non potest.

4.

Jus Feudale, alio deficiente jure, Causas non Feudales decidere nequit.

5.

Seditiosa ad Ministerium Vocatio non potest a Vocato sine conscientiae læsione accipi.

216.17

Vicarius Italiæ, qui est Dux Sabaudiaë, respectu Vicariatus subest Vicariis Germaniæ.

S. D. G.